...chael
...ki Mathias Joan. Cant. Icon virtu...
et eruditionis

ICON
VIRTVTIS ET ERVDITIONIS,
Vivis raræ probitatis, & Scientiæ coloribus,

In Perillustri, & Admodùm Reverendo Domino,

D. MICHAELE SŁAWOGURSKI,

In Celeberrima Vniversitate Cracoviensi,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE,
PRÆPOSITO NEO-CORCINENSI,

ADVMBRATA,
& ad Diem Festivitatis,
annuâ revolutione feliciter recurrentis,

S. MICHAELIS ARCHANG.
TVTELARIS SVI,

PER

M. MATHIAM IOANNEM CANTIVM BOGVSŁAWSKI,
In eadem Celeberrima Vniversitate Cracoviensi,
Artium, & Philosophiæ Doctorem, & Professorem,
ac interea Scholæ Neo-Corcinensis Directorem,

Officioso Calamo,
Luci Publicæ,
PRÆSENTATA;
Observantiæq; & Gratulationis ergò,
cum Solenni Applausu
Mecænati, Patronoq; suo Amplissimo

DEDICATA,
Anno Æterni Verbi humanâ carne adumbrati 1693. /i.
Tertio Calendas Octobris.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

In Avitum Stemma,

Perillustris, & Adm: Rndi Domini.



I.

Ad CHRISTUM duci, quis Te neget optime Doctor?
Prospera de cœlo, dum Tibi STELLA favet.

I.

Sidere felici, promens Oracula Phœbi:
Aureus es Phœbus factus in æde DEI.

Casimirus Zarzycki, Studiosus
Scholæ Neo Corcinensis.

I C O N
VIRTVTIS ET ERVDITIONIS.

AVitam nativi ſplendoris Imaginem, nepoti relinquere Orbi;
quòd, multorum fuerit affectus, ſed non effectus;
Delphico certiùs conſtat Tripode.
Omnes quidem naturaliter, ſaltem in Statuis perennare deſiderant:
Sed, ut ſint novum in effigie orbis miraculum;
Phænice, aut corvo rariores albo, reperiuntur.
Avito ſplendore coruſca Imago, ut in theatro gloriæ apricetur;
Parentem veræ claritatis, fontem luminis,
Phœbum bonarum mentium, virtutem requirit
Illuſtres Maiorum ceras, ſolius virtutis color, ſeculis commendat.
Verùm nihil ei, cum Protogenis penicillo:
Qui dignos licet cælo vultus, Ægyptijs celat vmbris;
Tamen in publica luce, lucem dare nequit.
Nempe abſq; cælesti virtutum varietate,
non pingitur immortalitatis effigies.
Diuino virtutis genio, ſupra Parrhaſios omnes ingenioſior,
calamus eſt penicillus.
Quidquid eo exaratur, hoc cedris immortalibus imprimitur.
Nec auro, & gemmis comparatur, æviterni eius nominis ſimulacrū:
Nam gemmarum pondus, & extremis ab Indis allata monilia;
Non perennaturæ gloriæ cymelia; ſed fulgidæ compedes ſunt.
Gemunt gemmis, & auro onuſta capita;
quæ ſolis rerum ponderibus, ſine virtute non ornantur, ſed onerantur.
Perſonata huius veritatis, Regina vrbium, & orbis domina teſtis.
Quæ ad gemmeam Pompeij Imaginem,
in ſolenni triumpho, adeò inſolentem excitavit riſum;
vt ſeram erudiret poſteritatem;
rigidi Gradivi, gemmarum lenocinia non eſſe, abſq; ſarcaſmis.
Pompeius, totus animo, ſine lenocinijs pulcher,
totus gemmeus, abſq; gemmis;
Orbi ſuffecerat, ad Maieſtatem:

Quia magnus.

Ita excelſus magnorum virorum animus:
faſtidit viriliter fucatum ceruſſæ faſtum:

 Eum

Eum enim pulcher probitatis color, Solus commendat.
Inclyta Divorum ſoboles, virtus & ſapientia:
Protogenis tabulas non quærunt:
Cùm harum Regis filiarum omnis gloria ſit ab intus.
Earum auguſtas Icones, non Zeuxis, ingenioſo penicillo;
ſed Muſæ adamantino charactere notant.
Viva illarum Immortalitatis Imago:
Lucis Avitæ vindicibus, ſolis vindicatur literis.
Vnde vno minor Iove, viva ſapientis effigies:
durando ſecula vincit, rabidos temporis dentes effugiens:
Inter mortales immortalis conſervatur.
Nam dignum laude Virum, Muſa vetat mori
Eiuſmodi in Te veneramur,
dignam immortalitate VIRTVTIS, & ERVDITIONIS ICONEM;
Perilluſtris, & Admodùm Reverende Domine,
D. MICHAEL SŁAWOGVRSKI,
in Celeberrima Vniverſitate Cracovienſi,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR,
PRÆPOSITE NEO-CORCINENSIS.
Te felix Lucina, vix in lucem expoſuit;
Illicò intaminatis virtutum ſplendoribus fecit admirandum.
Genuinam in Te probitatis Iconem, vt acutiùs orbis ſuſpiceret:
Gentilitij Sideris monſtrauit ſplendor,
Virtutis lineamenta, Natiuò colore, vt properè,
& proſperè expreſſiſſes;
Cæleſte Stemmatis Calcar excitavit.
Hoc prodromo, vt meliùs inclareſceres;
à Parnaſſi luco, Auito ſplendori Tuo, lucem quæſiviſti.
Et ne, Olympia docti Apollinis,
Giganteo paſſu emetiens, fatigareris;
Hipocrenen, avidiſſimo animi palato, hauſiſti:
Ab aurora Muſis amica;
quælibet Tibi aurea hora fuit.
Inde feliciſſimus & in arena Togatæ Palladis curſus:
Cùm in humanioribus, ultrà humanum ſenſum,
uſq; ad delicias Maiorum,
die naturalem, nocte artificialem, Tibi ephebo duceret Phæbum.

Tanti

Tanti futuræ eruditionis, Te accendebant igniculi:
Vt eò, pulchriori mentis ſpecimine coruſcum,
Orbi, & Polo;
& non ſoli Pruſſico ſoli; præſentarent.
Stoa demùm, & Peripatus;
glorioſum Te, victricibus Palmis victorem,
de ditiori argumentorum gaza, ſuccreſcentibus;
ditiſſimo Sarmatiæ Emporio, in theatrum expoſuêre.
Abyſſus Scientiæ Dei Maxima;
Magnum Te, divinorum attributorum ſcrutatorem:
Poſnaniæ, Sedi Maioris Poloniæ, notum fecit.
Hæc
Cùm eruditam mentem Tuam, Lyncibus,
centoculoq́, oculatiorem Argo, cerneret:
ad pretium Tui, boniq; publici proventum;
Magnæ Domûs Czarnkovianæ,
Te Gubernatorem præfecit.
Cui, candidus nivei pectoris Præſes, ita præfuiſti:
Vt gemmea CZARNKOVIORVM Faſcia, in ſpeculum cederes.
Immo,
illam formando, in virtutum Coronam;
Avitæ Principum Słopenſium Mitræ, gemmas eruditionis addidiſti.
O quàm felici ſydere natos, dixiſſes novos Achylles Czarnkovios!
quos tantus Chiron aſtro Tuo, ad aſtra duxiſti:
Ipſum etiam orbem NAŁĘCIVM motu regulari,
aſſiſtrix intelligentia, regulando;
Magnæ, in maiori Polonia, Domûs firmamentum;
Virtutibus ſedem præſcripſiſti.
Indeq;
tantus Atlas orbis Nałęcij,
ad portandum eum, qui omnia portat, feſtinâſti:
Cùm iam feliciter vires, grandia Magnorum Pignorum,
momenta ferendo prætentares.
ad *dulce pondus, ſine pondere,*
ſacras Manus explorare debuiſti.
Quod opus, ut felicibus humeris accommodares;
Magnis paſſibus, à candida Faſcia, ad candidiſſimum
Alitum, Trzebicianum Olorem, Te contuliſti:
B ipſe

ipſe lucis candidata Imago.

Optimus paulò ante Apollinis Myſtes, Muſarumq; Sacerdos, ut religioſiùs ſacrificares.

Veri Numinis Sanctiorem Flaminem agere decreviſti:

O quantus in candelabro Eccleſiæ Dei luces!

ut Pharios ignes, mundani fulguris, non accendas!

Probas enim hoc, probæ vitæ opere;

ad quod alios incitas ore!

Ignitum eloquium Tuum, muti Eccleſiæ NeoCorcinenſis parietes, ſi loqui ſcirent

Memnone clariùs declararent.

Quomodo ex Roſtris fulminans populo Demoſthenes;

in refragarios Antonios, Sacras Philippicas detonas?

Arguis, obſecras, increpas, ut æternæ Patriæ memores fiant.

Date plauſus & Vota, Sacro eloquij torque,

ab hoc Alcida vincti, in cælumq; ducti populi:

Nihil vobis dulciùs, nihil ſuaviùs, quàm ſic vinciri vinciq;.

Geminis luſtris, Veſtras vmbras ſuo ſidere luſtravit,

& illuſtravit è ſuggeſto tantus Eccleſiaſtes.

Non iam ampliùs ſuis Apollo celebretur Oraculis:

Quia Tu Divinior Michael,

QVIS VT DEVS, toties inculcans;

Sacra omnibus Reſponſa dediſti.

Toties Divorum Magnus Encomiaſtes;

non exigua Nomini Tuo, encomia comparâſti:

Sed animus Tuus integerrimus, ſub nube modeſtiæ

latens, tantùm his commovetur,

quantùm procellis Oceani, immobile ſaxum.

Dum à proprijs elogijs nauſea Tibi venit:

ſoluſq; à divino honore, guſtus, nectar, & delicium.

Nec opes Tibi gratiores, quàm in opem miſerorum,

& vſum Divinorum, expenſæ.

Cura, & labor circa Divina Atlanticus:

Quia indeficiens.

Io triumphe! animorum Victor.

Cui & MAŁACHOVIA Tænia, ipſa ante in coronam Virtutum compoſita

Novam favoris ſui coronam contexuit.

Dum Te digniſſimum Præpoſitum, Eccleſiæ Neo-Corcinenſis inſtituit.

Multi quidem, ad gratioſum huius Faſciæ amplexum, concurrerant:

Te tamen IOANNIS gratia, vt potè ſibi gratiorem rata, omnibus præpoſuit.

Lydius ingeniorum lapis, pietatis apex & Corona, Princeps noſter Celſiſſimus.

Paſtorem NeoCorcinenſis Ovilis non alium optabat, quam Te.

Cuius oves bellè, vocem noverant.

Neq;

Neq; salubria pascua à quopiam danda eis existimabat; quàm à Te.
Qui lilijs innocentis animi vsq; ad delicias Agnos Tuos saginabas.
Argus ille eruditorum,
Perillustris, & Admodùm Reverendus Dominus,
BARTHOLOMÆVS IEDLEWSKI,
Decanus Ecclesiæ Collegiatæ Lublinensis.
Vidit, & prævidit perspicacissimâ mentis pupillâ;
Qualem Te Successorem suum,
Ecclesia NeoCorcinensis habitura esset.
Penetravit intimas animi Tui fibras:
Cùm Te effigiem boni Viri vocitaret.
Adeò splendor ille sacerdotalis vitæ, oculos eius perstringebat:
Vt Te in Candelabro Ecclesiæ lucere, & ardere anhelaret.
Humilis quidem de Te sensûs, vmbram vbiq; Tecum circumferebas:
& proprio virtutis decore ornatus, latere voluisti;
at latendo, magis Te prodidisti.
Nempe ita virtuti latere contingit, vt soli:
quem magis vmbræ produnt.
Macte animo Doctor dignissime!
docendi, & dicendi apprimè peritus:
Supremi tamen Magistri æmulus:
Faciendi peritiam omni doctrinæ præponis.
Apostolicæ vitæ imitator:
Cùm omnia in cultum Dei erogaveris;
Ne Te quidem Tibi reliquisti.
Totus in curas & labores pios effúsus;
Nullam Tibi permittis, facultates servandi, facultatem.
Hoc solo, congerendi auri avidus;
vt illud in Decorem Sponsæ Tuæ Ecclesiæ impendas.
Certè vbi Thesaurus tuus, ibi & cor.
dum toto corde Cælo adhærens;
In cælum etiam thesauros transmittis.
Alij regnum Dei violenter rapiunt.
Tu cælo amicus, svaviter illud occupabis.
cùm fratres Christi pijs muneribus devincis.
Cum Macedone, nullum propugnaculum inexpugnabile arbitratus.
ad quod auro onustus, peruenire valet asellus.
Ad capiendam cælestis Capitolij arcem, egenorum manus, auro oneras.
Victrici Tuæ liberalitati cælum mancipas.

dum Tibi, victas ij, quorum est Regnum Cælorum, porrigunt manus.
Quot egenos, tot vivas statuas, ad pompam triumphi possedisti.
Totus aureus.
Concolorem quoq; Tibi sponsam reddis;
Ecclesiam Neo-Corcinensem.
O! quot splendoribus coruscam illam exhibuisti!
Augusto Augustior.
Qui Romam olim lateritiam deprehendens, marmoream fecit.
Tu Ecclesiam Tuam deauratã, in tot, divorũ aris, Magnificentiùs decoratã effecisti.
Ipse prototypus virtutum cùm sis:
In sanctorum Icones totum censum impendis.
Angelico Nomine decoratus,
Vt eorum sacrum Trisagium in via dulciùs intonares:
Tot guttura ad illud occinendum foves.
Vocalem Virtutum Tuarum Harmoniam;
vocalis canentium in Ecclesia chorus, suavi concentu declarat.
Ita Seruis Domino in lætitia; ut simul clamor, & amor, cantet in aure DEI.
Quid enim est cor Tuum Mystes piissime? quàm conclave Divini amoris; ad cuius incrementum cuncta ordinas.
Inter innumera Patrum oracula; quæ alta mente reponis, nullius tenaciùs repositum tenes, quàm huius,
Felix anima, in cuius corde, præter amorem DEI, nullus alius versatur amor.
Hoc duce, cùm omnia vicisses, quidni coronas promerueris?
Admirata & venerata est in Te, hanc victricem mentem,
Doctarum frontium Coronatrix, Augusta Regum Filia & Mater;
Alma Vniversitas Cracoviensis.
Docta Tibi tempora, Theologicâ adumbravit Laureâ;
quæ æstuare, pro Ecclesia observavit.
Nec vile hoc meritorum Tuorum præmium est:
quod Sanctissimi olim, & Illustrissimi ambiverunt.
Laurea illis Corona, ad cælestes Aureolas prælusit.
Antequam in Polo Magna Divorum Poloniæ Indigetum Nomina;
CANTII, GEDROCII, STANISLAI, BONERII, LIPNICII, aliorũq; redimirentur:
Priùs ab hac Coronarum Dispensatrice, & Coronata Progenitrice;
(quæ Poloniæ, & Polo, gignit & coronat Filios;
Patriæ, & Ecclesiæ lactat scientijs, usq; ad excessum Atlantes;)
Virtutis documenta sumpserunt.
In hac Magnorum Virorum Ithaca, Purpurati Senatûs decora,
Eminentissimi LVBRANSCII, HOSII, OLESNICII, & alij sexcenti:
Mitratiq;

Mitratiq; BATHORÆI, COMITES à Wiśnicz, OPALINII,
TARŁONES, COMITES de Tęczyn, CROMERII, DŁVGOSSII;
vt fundamenta virtutũ & Sapientiæ; ita ornamenta Laureati honoris adepti sunt.
Hanc *vt cuncti eruditorum optimi, & optimorum eruditissimi,*
velut gemmam Septemtrionis æstimant:
ita Tu Virorum Idea, digno gratitudinis cultu veneraris.
Viva virtutis, & eruditionis Tuæ simulacra,
non alibi tutiùs ponere voluisti.
quàm in hoc sacro immortalitatis Capitolio.
Non ab alio clariùs declarari; quàm à Tullio Sarmatico,
Perillustri & Rñdissimo Domino,
D.M. MARTINO WINKLER,
Sacræ Theologiæ Doctore & Professore,
Canonico Cathedrali Cracoviensi, &c.
Promotore Tuo Dignissimo.
qui Te Inclytæ Theologorum Coronæ, velut gemmam inseruit.
Publicum ergò probæ eruditionis, & eruditæ probitatis testimonium,
cùm accepisses:
Non degener Tantæ Matris Filius, ita vitam instituis,
vt exemplar Doctorum, Theologorum norma, audias.
Sed quo pergis Calame!
spirantes heroicarum Virtutum vultus;
Phidiæ & Alcamenis miracula superant?
Clariori fulgent minio, admirandæ magnorum operum effigies?
quàm vt tuis lineamentis exarentur.
Ergò tersissimam animi faciem, puritatem conscientiæ,
candidum sinceritatis ebur, niveam cordis munditiem,
exempli boni regulam & amussim, Scientiarum iucundam varietatẽ,
Cælestis Sapientiæ raram qualitatem;
artifex fama in cælo pulchriori, celet argumento.
Tu tantùm præpetis ministrâ famæ pennâ,
in candido submisi affectûs exara campo:
vt Perillustris, & Admodùm Reverendus Dominus,
D. MICHAEL SŁAWOGVRSKI,
S. TH: DOCTOR, PRÆPOSITVS NEO-CORCINENSIS,
VIVAT diu, felicitatis & honorum meta,
VIVAT & sera in Pantheon cæleste referatur.
VIRTUTIS & SAPIENTIÆ
ICON